

» disponente elementia, meritis licet insufficientibus, fuimus evecti,
» nihil praestabilius duximus, quam omni cura, omni ingenio et
» industria procurare ea, quae pacis essent; tum quod nihil magis
» officio nostro convenire arbitrabamur, qui regis pacifici vicem ge-
» rimus; tum quod reipublicae christianae a crudelissimis barbaris
» violenter impetitae, maximisque et diuturnis cladibus afflictae
» nihil salutaris videbamus. Hoc incensi studio non solum Italiam,
» accersitis ad nos saepius potentatuum oratoribus, ad mutuam ani-
» morum conjunctionem excitavimus, sed etiam transalpinos prin-
» cipes et remotissimas nationes, missis ad id legatis et nuntiis
» nostris, monuimus et iterum atque iterum sumus obtestati. Quod
» si aliquando aliquorum injuria impulit, ut praeter institutum
» nostrum arma sumeremus, nonnisi inviti et lacesciti, ubi spiri-
» tualia non profecissent, id fecimus, et pro libertatis ecclesiasticae
» conservatione, pro qua si opus sit vitam effundere debemus,
» Atque hoc quidem eo consilio gestum est, ut rebus bello composi-
» tis pax optata sequeretur, quam semper animo nostro proposui-
» mus, intimo affectu concupivimus. Quum autem praeter hujusmodi
» desyderium nostrum superioribus mensibus Italia, ita cooperante
» humanae pacis inimico, in periculosum et grave bellum inciderit,
» eoque processerit furor bellicus, ut nos quoque merito causa tui
» lacesciti pluribus damnis et incommodis affecti fuerimus, pleras-
» que civitates nostras et oppida amiserimus, urbem Romam obsi-
» dione cinctam viderimus, agrum fere totum depopulatum, cives
» ad seditionem adversus nos instigatos, littora nostra infesta classe
» exagitata, interclusum comeatibus civitatem, prohibitos transitu
» eos qui Romani ex omni orbis terrarum natione accedere con-
» sueverunt, quo romana curia dissolveretur, interceptos tam ve-
» nerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quam alio-
» rum praelatorum ecclesiasticos proventus, domicellos plerosque
» nostros aperta rebellione hostilia omnia in nos perpetrare, Fer-
» rariam insignem Ecclesiae civitatem in manifesto periculo con-
» stitutam, universam Italiam intestino inter se bello conflagentem;